

Qui sunt fontes consolationum in cruce et calamitatibus?

Decem sunt loci: I. necessitas, id est mandatum Dei, quod praecipit patientiam, II. dignitas virtutis, id est fidei et spei, quae non est ab ieiencia propter aerumnas, III. bona conscientia, cum non attraximus nobis nostra culpa calamitates, IIII. remissio peccatorum, V. promissio praesentiae Dei et auxilij diuini in aerumnis, VI. spes ultimae liberationis et aeternae salutis, 5 VII. exempla Filii Dei et praecepsorum luminum ecclesiae, VIII. causae finales, quia affligimur, non ut pereamus, sed ut crescat in nobis lux et nouitas spiritualis, IX. collatio euentuum, cum coram Deo agnoscimus nos iuste puniri et meritos esse atrociores poenas et tamen mitigari poenas propter mediatorem et ne tota ecclesia funditus deleatur, X. desiderium clari conspectus Dei et liberationis a toto peccato.

10

An non mitigantur calamitates his, qui vere  
ad Deum conuertuntur?

Quod conuersis ad Deum aut liberatio aut mitigatio poenarum temporalium diuinitus contingat, ostendit exemplum Niniuitarum<sup>216</sup> et dictum Christi: „Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.“<sup>217</sup> Mitigantur autem poenae temporales praecipue propter Filium Dei, qui est umbraculum ecclesiae. Postea verum est et in conuersis studium bene operandi habere sua praemia etiam in hac vita.

---

<sup>216</sup> Vgl. Jon 3,1–10.

<sup>217</sup> Lk 13,3.